Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Eadem namque nocte venientes
olimpius cum uxore sua ex-
uperia et filio unico theodolo:
prostraverunt se ad pedes eius dicentes.
Nos vere cognovimus veritatem Christi, quia
ipse est deus verus filius dei, qui aperuit
oculos filie nemesii tribuni. Roga-
mus te ut donare nobis digneris
baptismum salutis in nomine domini nostri Ihesu
Christi quem tu predicas. Simphronius
dixit. Si penitenciam egeris ex toto
corde pro sanguine sanctorum quem effudisti.
et si credideris ex toto corde tuo cum
uxore tua et filio tuo: omnia enim
dabuntur vobis credentibus. Olimpius
dixit. Modo cognoscetis quia ex toto cor-
de credo in deum quem predicas. Et stati(m)
aperuit cubiculum suum ubi habebat
diversorum simulachrorum effigies aure-
as et argenteas atque lapideas. Dixit-
que simphronio. Ecce in tua sunt pote-
state. facio quicquid iusseris ex eis. Sim-
phronius dixit ad eum. Ecce omnia ido-
la propria manu tua confringe. aurea
quoque et argentea igni confla. et in
necessitatibus pauperum eroga. et tunc
scio quia ex toto corde credis. Fecit
olimpius sicut ei fuerat imperatum. con-
fregitque idola marmorea malleis.
aurea autem vel argentea fecit con-
flari incendio. Cumque hec agerent
in domo et confringerent idola. au-
dita est vox. Requiescat spiritus me-
us in te simphroni. Hec audientes oli-
pius et uxor eius ceperunt in nimio
roborari timore. et magis ac magis
in fidei calore fervere. ceperuntque ad
baptismi misteria quantocius properan-
da properare. simphroniumque sup-
pliciter postulabant. ut id fieri quand

segniter purgeret. Simphronius
ergo nunciavit nemesio domino suo. Ne-
mesius quoque alacrius festinans
pervenit ad sanctum stephanum. et omnia
per ordinem pandit. Beatus stephanus
hec audiens. gratias retulit deo patri
omnipotenti et Ihesu Christo filio eius. pervenitque
noctu ad domum olimpii. misitque se
ad vestigia beati stephani una cum
uxore sua et filio olimpius. flagitans
baptismi sacramenta. et ostendit ei con-
fracta idola universa. Hoc videns
beatus stephanus episcopus dixit. Gracias
tibi agimus domine Ihesu Christe qui dignatus
es servis tuis misericordiam donare.
ut eos erueres a demoniorum erroribus
quos invenerunt idolorum cultores.
ut hos congregares velut triticum in
horreum tuum. Tunc cathezizavit eos
iuxta ecclesiasticam rationem. et baptiza-
vit quotquot crediderunt in domo olim-
pii. sed et ipsum olimpium cum uxore
sua exupia nomine et filio theodo-
lo. et optulit sacrificium deo patri et Ihesu
Christo filio eius pro eorum redempcione.

Factum est ergo post tercium diem.
audientes hec valerianus et gal-
lienus nimio furore accensi
sunt dicentes. Ablata est deorum nostrorum
cultura a supersticione christianorum.
miseruntque et tenuerunt nemesium
diaconum. cum sua filia lucilla. quos
eciam sine audiencia fecerunt puni-
ri. Nam lucillam filiam nemesii an-
te patris decollacionem fecit gladio iu-
gulari. in via appia ante templum
martis. Unde reor hoc ideo vulgi
fuisse consilium. ut pater videns for-
sitan filie mortem crudelem inferri
terreretur. et suum preberet consensum.